



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum**

**Recupito, Giulio Cesare**

**Lvgdvni, 1681**

Cap. XI. Sextum reprobationis signum, Avaritia, & immisericordia in  
pauperes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44272**

magna mercedis est à morte eripere carnem quandoque morituram; quanti meriti erit à morte animam liberare in caelesti patria sine fine victuram? Denique dicitur Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quod de misericordia intelligitur impensa ad sublevandam miseriam tum corporis, tum animæ. Ideo in misericordia maximum prædestinationis signum statuitur. Quippe, ut ait Augustinus serm. 44. ad fratres in Eremo, *sola misericordia hominem ducit ad Deum: sola Deum deducit ad hominem.* Hæc de sexto prædestinationis signo in misericordia reposito.

Matth. 5.

August.

C A P U T X I.

Sextum reprobationis signum avaritia, & immisericordia in pauperes.

Dico undecimè. Avaritia & immisericordia reprobationis est signum. Hoc dictum colligitur ex præcedenti. Breviter tamen Probatur primò è Scripturis. Primus locus Prov. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis; & ipse clamabit, & non exaudietur.* Reprobatorum autem est ad Deum clamare, & non exaudiri, juxta illud Psal. 17. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.* Consonat Tobias cap. 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ut nec à te avertatur facies Domini.* Ex opposito autem antecedentis sequitur oppositum consequentis, quod si quis faciem suam avertit à paupere, Deus avertit faciem suam ab eo. Ideo Augustinus sermone 5. de verbis Domini, *Quam frontem, inquit, habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoscis patrem tuum?* Ideo idem Augustinus in Psal. 42. *Vis, inquit, orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium & eleemosynam. Sine his alis iacet oratio; & sine orationis ascensu non obtinetur misericordia.* Adde sine Dei misericordia salvari neminem.

Avaritia reprobationis signum.

Psal. 17.

CXCI.

Secundus locus est Matth. 25. *Ite maledicti, &c. esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Eodem igitur modo condemnantur, ac si eleemosynam denegassent Christo ipsi petenti: quod peccatum gravissimum foret, & manifestum reprobationis indicium. Quamobrem cætera peccata taceri, quia minora, expressè docet Chrysostomus hom. 6. de Pœnit. ubi *Non dixit, inquit, quia fornicati estis, quia furtum fecistis, &c. mala quidem hæc manifestè, sed respectu negantis eleemosynam sunt secunda.* Quia nimirum, posito quod Christus protestatus sit omnibus se suam personam collocare in paupere, injuria facta pauperi, facta est Christo. Ideo dicit ipse re-

Eleemosynæ denegatio omnibus criminibus anteferretur.

August.

Chrysof.

probis, *Quandiu non fecistis uni de minoribus his, mihi non fecistis.* Matth. 25. Quod observans Augustinus tomo 10. hom. 39. inter. 50. Christus, inquit, *index essurisse & fuisse se dicit, & cetera in suis minimis perpeffum fuisse se asserit. Date ergo omnibus: ne, cui non dederis, ipse sit Christus.* Expendit hoc egregie Chrysofomus hom. 80. in hunc locum Matthæi, *Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Si inimicus fuiffem, nonne ad mitigandos flectendosque crudeles suffeciffent inedia, frigus, vincula, nuditas, agrotatio? Vos autem neque hæc contulistis amico, & Domino, & benefactori.* Christus igitur, qui iudex est, idem personam geret accusatoris in suis membris, nempe in pauperibus, quibus eleemosyna est denegata. Et sicut misericordes reperiunt in iudicio quot pauperes, tot patronos; ita immiserordes quot pauperes, tot accusatores & hostes. Quod est horrendum & formidabile; quia, ut ait Chryfologus serm. 40. *excusari non potest, quem fames pauperis accusabit. Videbit diem malam, qui diem iudicij sine advocacione paupertatis intravit.*

Dives epulo damnatus ex negatione eleemosynæ.

Chrysof.

August.

Tertius locus est Luca 16. ubi inducitur *dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, sepultus in inferno.* Sanè indumenta purpurea, & epulum quotidianum non sunt ex suo genere peccata mortifera, quæ causare possent damnationem: sed apponuntur hæ circumstantiæ, ut declaretur habuisse talem divitem de superfluis; de quibus, quia tenebatur facere eleemosynam Lazaro mendico, & non fecit, ideo *sepultus est in inferno: non ex purpura, aut epulis, sed ex omissione eleemosynæ.* Ita expressè Chrysofomus hom. 2. de Lazaro, ubi de epulone loquens: *Non quia, inquit, dives fuerat, torquetur; sed quia misericors non fuit. Ideo non est exauditus ab Abrahamo, quia ille non exaudierat Lazarum.* Quod animadverrens Augustinus sermone 25. de verbis Domini secundum Lucam; *Ideo, inquit, negatur in pœnis misericordia diviti: quia ipse, dum viveret, noluit misereri: ideo rogans dives non exauditur in tormentis; quia rogantem pauperem non exaudivit in terris.* Observandum est, quod cum totum corpus arderet, tamen cruciatus majores sensit in lingua, quam ad pauperis contemptum aperuerat, ad dandam eleemosynam clauserat. Quæ est animadversio ejusdem Augustini serm. 110. de tempore, ubi: *Totum, inquit, divitis corpus flammis gehenna consumitur, & sola lingua amplius cruciatur. Ideo sine dubio in lingua maiorem sensit ardorem, quia per eam superbe loquendo contempserat pauperem: ipsa enim lingua, qua noluerat dicere ut eleemosyna pauperi donaretur, gravius gehenna flammis exurit.* Observandum est etiam in terrenis micæ panis quæsitæ à paupere, neque obtentas; ab epulone in inferno guttam aquæ quæsitam, nec impetratam; in supplicium negatæ micæ. Quod expendens Greg. hom. 40. in Evang. *Qui vulnerato, inquit, pauperi mensa sua vel micæ dare noluit.*

noluit, in inferno positus usque ad minima quarenda pervenit: & guttam aqua petivit, qui micam panis negavit. Hæc omnia satis ostendunt reprobationem epulonis effectum fuisse elemosynæ denegatæ.

Confirmatur, quia non potuit epulo excludi à sinu Abrahæ, eò quòd esset dives: nam Abraham quoque erat dives valde in possessione auri & argenti, Gen. 13. & sic non potuit ex hoc capite dives excludi à sinu Abrahæ divitis. Exclusus est autem quia Abraham dives quidem fuit; sed de divitiis elemosynas erogabat: epulo verò dives erat; sed divitias in propria, non in pauperum commoda convertibat. Quod advertens Chrysologus serm. 121. *Mirum, inquit, quod Abraham quondam dives, nunc divitem spernit. Verùm Abraham, fratres, non sibi sed pauperi dives fuit: & opes non habere, sed prorogare gestivit magis; magisque in sinu pauperis, quàm in horreis recondere suas studuit facultates. Quod adeo gratum Abrahamo fuisse dicit Chrysologus, ut ne in ipso cælo sine pauperum consortio manere voluerit. Hac enim de causa factum est, ut moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: nam, ut ait Chrysologus, revera, fratres, parum se beatum credidit, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio.*

Quartus locus est ad Ephes. 5. *scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei.* Ecce avarus expressè à prædestinatione excluditur ut idolorum cultor: ideoque dicitur etiam ad Coloss. 6. *avaritia, que est simulachrorum servitus.* Unde fit, ut majus reprobationis signum constituatur in avaritia, tanquam in quadam specie idololatriæ. Cur autem avaritia magis, quàm fornicatio dicatur idolorum servitus; cum tam fornicator habeat pro idolo personam amatam, quàm avarus pro idolo pecuniam: rationem reddit Chrysostomus in hunc locum, *quia, sicut idololatra venerantur idola, neque ea præ reverentia audent tangere: ita avarus pecunias, quasi idolum, veneratur, neque eas audet contingere: sed solum inani earum delectatur aspectu.* Adderem, unumquemque peccantem mortaliter constituere sibi ultimum finem in creatura: sed hoc specialius pertinere ad avarum, quàm ad alios. Quia fornicarius constituit ultimum finem in delectabili: quod habet quidem rationem finis respectu appetitus sensitivi, sed non finis ultimi respectu hominis, cujus finis est honestum: & sic consistit inordinatio in hoc, quod assumitur pro fine ab appetitu rationali id, quod solum respectu appetitus sensitivi est finis. Avarus verò finem sibi constituit in pecunia: alioqui, si amat pecuniam ut fornicetur, magis fornicator est, quàm avarus. Pecunia autem de se habet rationem utilis, & sic non habet rationem finis, sed medij. Minor autem est inordinatio fornicarij, qui præponit finem delectabilem fini honesto; quàm avari, qui constituit sibi

rationem finis in eo, quod habet tantum rationem medij. Ideo peculiarius dicitur avaritia esse quædam *idolorum servitus*: quoniam omnimoda quadam inordinatione constituit sibi idolum, & ultimum finem in medio. Quod non facit fornicator, solum inordinate permutans unum finem cum alio, honestum cum delectabili. Unde fit ut avaritia majus quoddam sit reprobationis signum, quam fornicatio, tum ex ratione dicta: tum etiam quia non raro venereæ voluptatis assecutio ex nimia consumptione spirituum merorem parit, ac nauseam; & sæpissimè dolores, ac morbos: ex quibus fornicandi fomenta deficiunt: contra verò avarus sistit in pecuniæ cupidine, quæ est quodammodo infinita, dum crescit cum ipsa pecunia cupiditas plus habendi. Quod notans Augustinus lib. 50. hom. 30. *divitia*, inquit, *amatoribus suis quando fuerunt ampliores non afferunt satietatem, sed plus habendi cupiditatem*. Hæc autem cum expleri non possit per media licita, trahit sæpissimè ad illicita. Ideo Chrysostomus homil. cum Sarton. & Aurel. acti essent in exil. quæ habetur tom. 5. *Vesana*, inquit, *divitiarum cupiditas morbus est insanabilis: ingens per orbem diffusa fornax, quæ nunquam extinguitur*. & Chrysologus serm. 29. *cupiditas*, inquit, *sevus hostis amando ladit, ditando nudat, frangit fidem, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, admittit innocentiam*. Quapropter dicitur 1. ad Timoth. 6. *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva: quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas*. Hæc autem radix extirpatur per charitatem erogando divitias indigentibus. Ideo Augustinus serm. 12. de Verb. Dom. secundum Matth. *extirpa*, inquit, *cupiditatem, & planta charitatem. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas; ita radix omnium bonorum est charitas*. Ergo, quando hæc cupiditas non tollitur per charitatem, tunc *radix est omnium malorum, & mergit in interitum, & perditionem*: ac proinde reprobationis est signum. Hæc immediatè è Scripturis.

August.

Chrysof.

Chrysol.

1. Tim. 6.

August.

Matth. 7.

August.

S. Leo.

Probatum idem secundò ratione petita etiam è Scripturis. Prima ratio, quia constitutum est à Christo omnibus hominibus quasi lex talionis iis verbis Matth. 7. *qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis*. Ergo ille, qui misericordiam non præstat inopi, jam præscribit Deo, ut misericordiam non præstet sibi. Vnde fit, ut certus sit de modo, quo Deus in judicio est acturus cum illo: sicut certus est de modo, quo ipse egit cum paupere. Alioqui non esset verum, quod *eadem mensura, &c.* Ideo Augustinus homil. 25. de Verb. Domini secundum Lucam: *Non mentitur*, inquit, *modus illius mensuræ, si qua mensura mensi fueritis, ita remetietur vobis. Ideo negatur in pænis misericordia diviti; quia ipse, dum vixit, noluit misereri*. Præterea S. Leo sermon. 4. de collectis. *Misereantur*, inquit, *pauperum, qui*

*sibi volunt parcere Christum.* Qui ergo non miseretur pauperum, non vult sibi misericordiam præstari à Christo: quo nullum majus esse potest reprobationis indicium. Confirmatur, quia eleemosyna sacrificium est pro peccato, ex quo Christus propitiatur peccatori. Christo autem non propitio, unusquisque manet sub reprobatione. Est argumentum Augustini lib. 50. homil. 29. *Sacrificium, inquit, Christiani est eleemosyna in pauperem: hinc Deus fit peccatis propitius. Nisi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanebit nisi reus?*

Secunda ratio. Divites tenentur erogare sibi superflua in eleemo- CXCIII.  
synas indigentibus. Ergo non erogando habent manifestum repro-  
bationis signum: quia sunt in statu damnationis. Consequentia patet.  
Antecedens hic suppono ex communi Doctorum cum D. Thom. in 4. *D. Thom.*  
dist. 15. quæst. 2. art. 4. in corpor. ubi dicit *id, quod necessarium repu-*  
*tatur ad aliquid, quod est ultra decentiam status, debere in eleemo-*  
*synam dispensari: & hoc cadere sub præcepto.* Ita certum hoc est apud  
Patres, ut passim dicant pauperibus, si eleemosyna denegatur, fieri  
injuriam; & eos fraudari de re sibi debita, juxta illud Eccl. 4. *eleemo-*  
*synam pauperis ne defraudes.* Ideo Ambrosius sermon. 81. *non majus, Ambros.*  
inquit, *est crimen habenti tollere; quam, cum possit, indigentibus*  
*denegare.* Hieronymus epist. 110. quæst. 1. *si plus habes, quam tibi Hieronym.*  
*ad victum, vestitumque necessarium est, illud eroga: & in illo de-*  
*bitorem te esse noveris.* Observa constitui à Hieronymo debitum  
erogandi eleemosynas de ijs, quæ *necessaria non sunt ad victum, &*  
*vestitum.* Unde fit, ut ij, qui divitiis utuntur ad choreas, ad comæ-  
dias, ad aulæa, ad famulorum satellitia, ad luxus, neglectis necessi-  
tatis pauperum, peccent, ex Hieronymo, contra hoc debitum: &  
retineantur ab eo bona pauperum, quemadmodum debitor bona  
retinet creditoris. Ideo alij docent, bona non tam esse eorum, qui  
possident, quam pauperum; juxta id, quod dicitur Luca 15. *si in Luca 15.*  
*alieno fidelis non fuisti.* Quæ verba expendens Augustinus lib. 2. *Augustin.*  
quæst. Evang. cap. 35. dicit *alienas appellari terrenas has facultates.*  
Quippe ut idem notat in Psalm. 147. *superflua diviti, necessaria sunt*  
*pauperi: aliena retinet, qui ista tenet.* Quod periculatius declarans  
Basilius conc. 4. de eleemosyn. *Famelici, inquit, est panis ille, quem Basilius.*  
*tu apud te detines: nudi vestis illa, quam tegis: discalceati calcens*  
*ille, qui domi tua putrescit: egeni argentum, quod possides intra*  
*arcam: Itaque tot injuria afficis, quot, dum licet, tuis rebus non juvas.*  
Admirabilius est id, quod addit Chrysostomus ad pop. Ant. divitem *Chrysof.*  
esse rerum sibi superfluarum merum dispensatorem: *Tuarum, inquit,*  
*rerum es, ô homo, merus dispensator, non minus quam qui Ecclesia*  
*bona dispensat.* Et infra: *Non ad hoc accepisti, ut in delicijs absumeres,*  
*sed ut in eleemosynas erogares.* Numquid enim tua possides? Res  
pauperum tibi sunt credita: sive ex laboribus justis, sive ex paterna

*Psal. 111. hereditate possideas. Nihil clarius. Ideo Psal. 111. eleemosyna iustitia appellatur, non misericordia. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia ejus manet in seculum seculi. Quasi eleemosynam faciens reddat ex iustitia id, quod debetur pauperibus: & negans eleemosynam injustè retineat. Ideo Bernard. epist. 42. ad Heron. Nostrum, inquit, est, pauperes clamant, quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter vos expenditis. Quamobrem videntur opes à Deo divitibus dari, ut eas illi reddant in persona pauperum: & esse quasi syngrapha, quæ cum ficta permutatione pecuniæ inter mercatores exerceri solet in iis, quos vocant cambios; in quibus sine ulla transmissione pecuniæ idem dat, idem accipit. Ideo Augustinus lib. 50. homil. 29. de eleemosyna loquens: Dem, inquit, ipse dat, ipse accipit: quasi fœnus trajectivum facit.*

*Matth. 19. Tertia ratio. Divitiæ ferunt secum maximam difficultatem salutis, cum habeatur ex Christo Matth. 19. facilius est camelum per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum calorum. Ergo ad tollendam hanc quasi impossibilitatem ex ore Christi, divitiæ aut debent relinquere propter Christum, aut saltem debent participari cum pauperibus Christi. Ergo dives sine eleemosyna reprobatur: cum nulla alia via diviti relinquantur salutis, nisi per eleemosynam. Ideo Augustinus serm. 25. de Verb. Dom. via, inquit, cali pauper est: incipe erogare, si non vis errare. Expresè id docet Beda homil. in nat. S. Benedicti. ubi, duo sunt, inquit, ordines electorum in iudicio futuri, unus iudicantium cum Domino; de quibus hoc loco memorat, qui reliquerunt omnia, & sequuti sunt illum: alius iudicandorum à Domino; qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt, sed de his tamen, qua habebant, suas dare eleemosynas pauperibus curaverunt: unde audituri sunt in iudicio, venite benedicti, esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c. Igitur, qui neque relinquit sua, neque dat pauperibus, non est inter ordines electorum. Unde concluditur divitem sine eleemosyna clarissimum continere reprobationis indicium. Ideo idem Augustinus lib. de 12. abus. cap. 4. dives, inquit, sine eleemosyna, qui superflua sibi indigentibus nihil habentibus non distribuit, dum in terra quasita, in terra diligenti cura custodit, celestis patriæ patentem thesaurum amittit.*

Quarta ratio. Immisericors in pauperem valde deficit in fide, in spe, in charitate. Ergo habet non unum reprobationis signum, sed multiplex. Consequentia patet ex terminis. Antecedens probatur. Et primò, quod talis deficiat in fide patet, quia eleemosynam non negaret, si crederet Christo dicenti pecuniam erogatam pauperibus non amitti, sed præmitti cum fœnore. Si quis enim alicui pecuniæ cupido pro singulis nummis aureis offerret centum; & avarus ille tenueret unum dare accepturus centum: signum esset evidens, quod

ille centum pro uno pollicenti non crederet: aut saltem de fide talis promissi dubitaret. Ergo negans pauperi eleemosynam, Christo promittenti centuplum, non ex corde, & veraciter credit: aut saltem de fide promissionis licet non signatè, tamen exercitè, & practicè, dubitat. Hùc revocari potest, quod supra diximus, apud Iapones esse in more positum, pecuniam à populis largissimè Bonziis tribui, ad recipiendas syngraphas debiti in altera vita restituendi. Ita plus fidei apud ethnicos fabella obtinet: & mendacium, quàm apud Christianos Christi promissum, & Evangelica veritas.

Secundò immisericors in pauperes notabiliter deficit in spe: quæ, ut ait Clem. Alex. *veluti sanguis est fidei*. Quia, si speraret alteram vitam, curaret utique eò pecuniam transmittere, ubi speraret se diutissimè, idest sine fine, victurum. Qui id negligit, sed opibus tantùm utitur ad commoda præsentis vitæ, signum est non aliam ab eo sperari, quàm præsentem vitam. Patet hoc evidenter in aliis rebus humanis. Qui enim apud exteros degit ad patriam reversurus, eò curat sua bona transmittere, ubi est perpetuum domicilium collocaturus. Si verò procul à patria palatia ædificat, vineas emit; sumptus omnes impendit; signum evidens est, nulla eum spe, aut cogitatione teneri reversionis in patriam. Idem planè iudicium de iis faciendum, qui divitias impendunt, sive in struendis palatiis, sive in colendis vineis, sive in coemendis oppidis, sive in aliis bonis præsentis vitæ. Signum est enim perspicuum, suum fixisse domicilium in hoc exilio; & parum, aut nihil ab eis sperari bona patriæ, & æternæ vitæ: ad quam transmittuntur opes per manus pauperum. Ideo Christus ad eleemosynam adhortans Matth. 6. *thesaurizate*, inquit, *vobis thesuros in calo*. Quod declarans Chrysologus sermon. 8. de jejun. & eleemosyn. *Thesaurus*, inquit, *cali est manus pauperis: quod suscipit, rapit in calum. Da igitur pauperi terram, ut accipias calum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum*. Ex quo manifestè sequitur signum esse reprobationis potissimum hanc avaritiam erga pauperes. Neque enim quis sperare rationabiliter potest in ea cælesti urbe se beatissimè victurum, ad quam nihil bonorum suorum præmittit: cumque omnia ejus bona in præsentem vitam sint fixa, signum etiam est, quod tota ejus felicitas terminabitur in hac vita.

Hoc autem tum universaliter reprobationis est signum, tum maxime in eo, qui moriturus nihil, aut parum, in testamentis suæ animæ consulit; totusque est in ditandis filiis, aut familia. Quippe hic facit injuriam maximam Christo, dum illi præponit illa ipsa bona, quæ mox coactus relinquit: eaque mavult amittere, quàm ad cælum transmittere. Quod signum pœnè evidens est cælestem patriam ab hujusmodi homine aut non credi, aut non sperari. Si enim posset

CXCIV.

Matth. 6.  
Chrysol.

dives suam secum asportare pecuniam, nemo certè esset tam parum sui amans, qui mallet eam filiis relinquere, quàm secum transferre. Intantum igitur eam aliis relinquit, inquantum desperat eam secum per manus pauperum transferendam: & sic apparet quod notabiliter deficit in spe.

Eleemosyna vestis in alia vita. Chrysof.

Confirmatur primò, quia si quis speraret animam posse post mortem vestiri, alioquin nudam apparituram, nemo esset adeo sui immemor, ut vestem secum non ferret. Eleemosyna autem sola vestis est, quæ transferri potest, animam vestitura post mortem. Quamobrem Chrysostomus hom. 84. in Ioan. *eleemosyna, inquit, vestis est, quæ resurget. His vestibus fulgebunt, qui tunc audient, esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare. Hæ (vestes) faciunt insignes, hæ conspicuos, hæ securos.* Unde infra ita concludit. *Animam vestiamus vestibus semper duraturis. Quod si in hac vita negleximus, saltem in morte nobis consulamus: & ex rebus nostris nobis opem ferre per eleemosynam curemus.*

Ambros.

Confirmatur secundò, quia si quis speraret animam ex hoc corpore profecturam ferre posse secum comitem subsidio futurum in hoc itinere: nemo esset tam amens, qui vellet hinc discedere incomitatus. Sola autem eleemosyna potest hominem ex hac vita proficiscentem benevolè comitari. Quod perpendens Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 56. *non sunt, inquit, hominis bona, quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum.*

Chrysof.

Confirmatur tertio, quia si quis sistendus coram iudice tanquam reus capitis, speraret se ferre posse patrocinantem, & advocatum: nemo ita suis rebus malè consuleret, ut ad conservandam filiis pecuniam, seipsum patrono ante iudicem spoliaret. Unusquisque autem sistendus post mortem est ante Christum iudicem, apud quem eleemosyna patrocinetur. Quod si patronum non curat, aut nimium præsumit; aut, quod verius est, desperat suæ causæ: dum in re omnium gravissima apparere vult coram iudice absque avvocato. Quandoquidem ut ait Chrysostomus hom. 9. de pœnit. *eleemosyna homines celerrimè in cælorum sedes adducit, advocati optimi loco fungens.* Hæc autem omnia, si dum negliguntur in vita, signa sunt animi parum aut nihil curantis futuram vitam, multò magis signa desperationis, & reprobationis sunt, cum negliguntur in morte. Tum quia non superest ulterius benefaciendi tempus: agiturque tunc non de decretis, ut ita dicam, interlocutoriis; sed de sententia finali: qua per totam æternitatem non datur ultrà appellatio. Tum quia, si certum est apud Theologos, ad perseverantiam finalem indigere nos specialibus, & extraordinariis auxiliis gratiæ: quæ à Deo dantur efficacia prædestinatis, ac proinde in iis prope mortem apparent quidam extraordinarij motus, & effectus gratiæ: certè ij, in quibus tunc apparet tam

exigua æternæ salutis cura, ut illi filiorum, aut quorumcumque amorem præferant, non videntur efficaciter cooperari auxiliis extraordinariis gratiæ, quæ dantur in eo statu: & sic inter extraordinarias etiam tentationes dæmonum non habituri perseverantiam finalem, ac proinde collocandi inter reprobos.

Quæ omnia expendens Chrysoſtomus tomos, ſerm. de gratiis *Chryſoſt.* reddendis Deo, ſuadens Chriſtum cum hæredibus cohæredem adſcribendum, portionem illi hæreditatis totius impertiendam; ac de eorum ſalute, qui id facere negligunt, pœne deſperans: *Qua, inquit, fueris ratione excuſandus, ſi eum (Chriſtum) ad hæreditatis communicationem unâ cum filiis non admiferis? qui tibi & calos communicaverit: qui mortem, tuam ob cauſam, non obligatus, ſed gratiam facturus ſubierit: pro quibus immenſis in te beneficijs magnum es illi in modum obnoxius.* Et infra: *Morti, inquit, proximus ede aliquid quod animi præferat magnitudinem, amorisque erga Deum, eſſi non immenſi, mediocris tamen indicio ſit futurum. Quod ſi ne id quidem per te peractum, qua poteris ratione excuſari, quando nec Dei timor, neque inutilis, & ſupervacua pecuniarum futura poſſeſſio, neque liberis relinquenda ſecuritas, neque ampla illa, & propoſita tibi, & ſervata venia, reddere te humaniorem queant?* Quando igitur in morte defectus apparet miſericordiæ erga pauperes, quos Chriſtus in loco ſubſtituit, ſignum eſt à morituro ſpem ſuam neque collocari in Chriſto, neque ſigi in cælo: quia, ut notat idem Chryſoſtomus homil. 16. in Matth. *qui eleemoſynam non facit, neque cor habet in cælo, neque ſpem in Deum.* Deficit igitur talis notabiliter in ſpe: quod ſignum eſt pœnè evidens defuturam illi cæleſtem gloriam, quæ eſt obiectum ſpei. Neque enim ſperare rationabiliter poteſt ſe à Chriſto hæredem pronuntiandum cæleſtis regni: qui Chriſtum conſcribere cum conſanguineis noluit cohæredem terreni boni. Ideo prædeſtinari, juxta conſilium Chryſoſtomi ſerm. cit. de reddendis Deo gratiis, *Chriſtum cum ſuis hæredibus cohæredem adſcribunt: & portionem illi hæreditatis totius impertiunt.*

Tertiò denique immiſericors in pauperes deficit notabiliter in cha- *CXCW.* ritate. Quippe miſericordia pars eſt ſubjectiva charitatis, circa perſonas magis indigentes ſublevativa miſeriæ: ac proinde deficere notabiliter in miſericordia, eſt deficere notabiliter in charitate. Miſericordia autem ſine ſubventione miſeriæ, cum adeſt ſubveniendi facultas, fruſtratoria eſt, & inanis. Quo exemplo explicat Iacob. c. 2. ſi. *1a. ob. 2.* *dem mortuam, quæ ſalvare non poteſt: Si, inquit, frater, aut ſoror nudi ſint, & indigent victu quotidiano, dicet autem aliquis ex vobis illis ite in pace, calefaciamini, & ſaturamini: non dederit autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? ſic & fides, ſi non habet opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Quia ſcilicet, ut notat Auguſtinus lib. de Auguſt.

spir. & litt. cap. 32. *Christus est vita fidei.* Sicut autem vita manifestatur per operationes vitales, quibus cessantibus signum est cessare vitam: ita charitas manifestatur per opera misericordiae ex ea profecta: quibus cessantibus signum est mortuam esse charitatem: neque amplius fidem charitate animari. Ideo Bernard. epist. 32. *mortua*, inquit, *fides est, qua non operatur ex dilectione*: quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur, & moveatur ad opera. Negans igitur opera misericordiae pauperi, signum præfert, quod in eo est fides mortua sine anima charitatis. Fides autem mortua, ut patet, reprobationis est signum. Denique, si ex Aug. tract. 5. in Ioan. *inter filios Dei, & filios diaboli discernit sola dilectio*: utique inter diligentes discernit sola operatio. Quippe, ut ait Gregorius l. 2. in Evang. homil. 30. *probatio dilectionis exhibitio est operis.* Unde fit, ut non exercens opera misericordiae in pauperes, numerandus sit inter filios diaboli, atque adeo inter præscitos. Ex quo ulterius sequitur divitem immisericordem duplex habere reprobationis signum, & immisericordiam, & divitias. Siquidem, ut ait Augustinus lib. de contemp. mundi cap. 5. *si regnum calorum est pauperum, restat ut infernus sit divitum.*

## CAPUT XII.

*Sextum prædestinationis, signum, Dilectio inimicorum; Reprobationis, affectus vindictæ.*

CXCVI.

Matth. 5.

**D**ico duodecimò. Prædestinationis signum est dilectio inimicorum.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Matth. 5. *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos: ut sitis filij Patris vestri, qui in calis est.* Huic loco accinit Matth. 5. *beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Unde sic arguo. Dilectio inimicorum reddit filios Dei. Ergo & hæredes regni: quia *si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* ad Rom. 8. Ergo prædestinationis est signum: quia prædestinati sunt, qui Christi cohæredes destinati sunt. Confirmatur ex versione Chrysostomi in hunc locum Matt. qui, ubi vulgata *ut sitis filij Patris vestri*, legit, *ut sitis similes Patri vestro.* Unde habetur ex dilectione inimicorum haberi potissimum filiationem Dei: quia ex ea habetur similitudo Dei. Nempe Dei, ut canit Ecclesia, *proprium est misereri semper, & parcere.* Ideo dicitur Osee 11. *non faciam furorem iræ meæ: non convertar ut disperdam Ephraim. Deus enim ego, & non homo.* Notanda est causalis,

Osee. 11.